

THESES

EX VNI-
VERSA THE-
OLOGIA

Pro supremo eiusdem sa-
cræ Scientiæ
gradu

A


M.F. NICOLAO HOFFMANN
S. Ord. Cisterc. Profess. Ebrac. &
SS. Theologiæ Baccalaureo
Formato

Ad

D. BERNARDVM
DOCT. MELLIFLVVM.

HERBIPOLI,

Excudebat Conradus Schwindlauff. 1617.



D. BERNARDVS

Serm. XXXVII.

super Cant.

Non ignoro, quantum Ecclesiæ
profuerint, & profint litterati
sui, siue ad refellendos eos, qui
ex aduerso sunt, siue ad simplices instru-
endos. Deniq. legi. Quia tu repulisti sci-
entiam, repellam & ego te, vt non fun-
garis mihi Sacerdotio. Legi. Qui docti
fuerint, fulgebunt, quasi splendor fir-
mamenti, & qui ad iustitiam
erudiunt multos, quasi
stellæ in perpetuas
æternitates.



RE-

RELIG^{mo} & PIENT^{mo}

B E R N A R D O,

CLARÆ-VALLIS ABBATI,

DOCTORI MELLIFLVO.



HE O L O G I A M
Hyblæ comparant, su-
pra Siculam fructuosæ,
Theologum Apiculæ, non
momento vanescentis thymi,
sed æternum florentis Sapien-
tiæ diuitias, haud ore magis,
quàm mente legulâ depopu-
lanti. Ita & ego rebar, in colle
isto quadriennium grassatus.
Quocirca, vt ales illa, coxarum,
ita ego ingenij villulas expedi-
ebam, vt ex omni florum gene-
re seligerem, quod maximè ad
salutarẽ succum, probādumq.
offerrem publicitùs. Sed ne-
scio quis mihi ad auriculam ta-

A 2

citè,

citè, bonum Genium suspicor.
Naturæ ductu Apiculam mel
colligere ; alterius Magisterio
egere Theologū. verum id ag-
noui, measq. viriculas. fixū ta-
mē est, absq. fructu areolas has
non deserere. Ad manu ductio-
nē itaq. Tuam me cōfero, Ab-
batū decus BERNARDE, quem fe-
runt florib. quos cæteri ad odo-
rem, & ad spectum vsurpant, ad
mellificiū adhibuisse; mortaliū
bono. Hinc tibi MELLIFLVI DOCTO-
RIS nomen, cui adplaudo, & ad
poplites prouolutus supplex
precor, Cliētulo adsistas, ac mel-
leum patrociniū Tvl rorem dif-
fundas copiosè, quo fellea pe-
ctoris, & ingenij languescens
amarities condiatur. Faue.

Herbipoli Franconiæ.

Melle & Sanctitatis T. Admirator unicus.

De.

DE DEO VNO ET TRINO.

I.

DEVS NOSTER DOMINVS VNVS EST.
Deut. vi. 4. tres tamen habentes
diuinā naturā: aliusq. PATER, alius
FILIVS, alius Sp. SANCTVS; sed non
aliud, neque alius Deus: Atque inter has
Personas, nihil prius tempore, aut posterius;
nihil maius aut minus: sed totæ tres coæternæ
sibi sunt, & coæquales; ita, vt per omnia Vni-
tas in Trinitate, & Trinitas in Vnitate vene-
randā sit.

II.

PATER est Principiū sine Principio. FILI-
VS Principium ex Principio, idq. per intel-
lectum à Patre; generatione propriè dictā
procedens. Ioann. viii. 42. *Ego enim ex eo
processi, & veni.* Sp. Sanctus à Patre & Fi-
lio, per voluntatem non generatur, sed spi-
ratur. Ioan. xv. 26. *Cum autem venerit Para-
clitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum
veritatis, qui à Patre procedit.*

A 3.

Ex.

III.

EXPROCESSIONIBVS quattuor colliguntur RELATIONES reales. PATERNITAS. FILIATIO. SPIRATIO Actiua, & Passiua. dicunt perfectionem, & ab Essentia diuina, tantum ratione ratiocinata distinguuntur; nec plus alia Dei Attributa absoluta, vel inter se, vel ab Essentia differunt. horum vnum, qui videt, necessario videt & alterum. imò nec Beatus vnã Personam, sine alia videre potest. Ioan. xiv. 19. *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum.*

IV.

VIDERI autem Deum à Beatis, fide constat. I. Cor. XIII. 12. *Videmus nunc per speculum, tunc autem facie ad faciem.* Ut verò Beati Deum videant, Lumine Gloriæ indigent, potest tamen Deus illud per speciale auxilium supplere. Speciem expressam etiam ipsis adscribimus: Impressam, seu similitudinem, QVA, vel PER QVAM, cœlo proscribimus.

V.

VISIO ipsa est eiudem speciei in omnibus, non tamen eiudem perfectionis. I. Cor. xv. 41. *alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia Stellarum.* nulli creaturæ connaturalis esse potest. ad Rom. vi. 23. *Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro.*

Deus

VI.

DEVS ab intellectu creato minimè comprehensibilis, comprehendit seipsum, aliaque à se sine discursu. Scit omnia non ex eo, quod fuerint realiter præsentia ab æterno; sed ob veritatem, quam habent in seipsis determinatã. Eccles. xxiii. 29. *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Hæc interim diuina Præscientia nihil officit libertati arbitrij humani; potest enim homo non operari, infallibiliter tamè operabitur. quare nunquã Scientia diuina fallitur.

VII.

FVTVRA, conditionatã etiam, Deum non latent, eaque cognoscit per Scientiam. Mediam. Matth. xi. 21. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere penitentiam egissent.* Præterea quæcunq. sunt in potentia creaturæ actiua, & passiuæ: item mala tam culpæ, quàm poenæ: negationes similiter, ac rerum priuationes perspecta habet. Rom. iv. 17. *Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.*

VIII.

INTELLECTVM & Scientiam in Deo sequitur Voluntas, quæ ita est causa rerum, vt ipsa propriè causam nullam habeat. loquendo tamen de causa secundum nostrum mo-

dum

dum intelligendi, quæ melius diceretur ratio volendi, diuina bonitas rectè dicitur ratio volendi creaturas, & non est absurdum inter obiecta secundaria diuinæ Voluntatis vnum dici rationem volendi aliud, quando talis est connexio obiectorum inter se, vt qui vult vnum, necessariò debeat velle alterum.

IX.

PRÆDESTINATIO Dei, est prouidentia, qua certi homines ex massa perditionis misericorditer selecti, per infallibilia media, in vitam diriguntur æternam. Continet actum tum Intellectus, tum Voluntatis: est certa & infallibilis. Ioan. x. 27. *Oues mea vocem meam audiunt, & non peribunt in eternum. & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

X.

ELECTIO ipsa ad gloriam, non fit ex præuisione boni vltus liberi arbitrij, vel gratiæ, neq. vlla ratio, vel causa meritoria eius assignari potest. sed solum in misericordiam & gratuitam Dei Voluntatem est referenda. II. ad Timoth. i. 9. *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam.*

XI.

REPROBATIO duplex est. altera Permissiua.

siua, quæ est negatio Voluntatis dandi media efficacia ad salutem, cum qua est coniuncta Voluntas permittendi peccata. altera Punitiua, quæ est exclusio à gloria, & destinatio ad pœnam. Quare cum variè sumi possit Reprobatio, si accipiatur pro Voluntate non dandi auxilium efficax, seu pro negatione talis auxiliij ad vitandum peccatum, in adulto causa sufficiens est peccatum originale: idemq. censendum, de negatione auxiliij efficacis, quoad Baptismum paruulorum.

XII.

SI REPROBATIO accipiatur pro Voluntate efficaci excludendi Reprobos à regno cœlorum, ac destinatione ad pœnam, eius causa ex parte Reprobatorum, est perseverantia in peccatis vsque ad mortem. Rom. II. 9. *Ira & indignatio in omnem animam hominis operantis malum.*

XIII.

ET VERO licet optime assignetur ratio, cur hic vel ille reprobetur, comparatè tamen loquendo, cur è duob. peccatorib. siue solo originali, siue etiam actuali peccato infectis, vnus potius, quam alter, nulla ex parte reprobi causa datur. ad Rom. IX. II. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa, facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

De Angelis.

XIV.

INTER CREATURAS principem obtinent locum Angeli, quos existere fides docet. Psal. VIII. 6. *minuisti cum paulo minus ab Angelis.* nec defunt rationes quæ id à posteriori conuincant. sunt incorruptibiles, incorporei, assumunt tamen quandoq. corpora. Sunt intellectuales, seque per suas substantias intelligunt; alia à se per species concreatas.

XV.

SINGULARIA etiã secundum esse existentia actualis cognoscunt, vel per eandem species concreatas, à Deo tamen modo aliquo superaddito mutatas, ac determinatas ad repræsentandum hoc singulare & non aliud: vel per nouas ab auctore naturæ productas. pari modo dum colloquuntur, productio ac impressio specierum intelligibilium, vel earum modificatio fit à Deo solo immediatè.

XVI.

POSITO quod non sint impediendæ causæ naturales, nec à Deo denegandus concursus necessarius ad agendum, possunt ab Angelis cognosci, futura contingentia naturalia. non item quæ à libero pendent arbitrio. 11. Paralip. VI. 30. *In solus in osti corda filiorum hominum.*

CVM

XVII.

CVM BEATITVDINE supernaturali creati non sunt: in primo tamen instanti conditionis suæ secundum proportionem naturalium acceperunt gratiam iustificantem, qua boni benè vsi, coelum inière, mali malè, Tartarum, vbi perpetuo torquentur igne, quatenus ille effectiuè cum Voluntate ad producendum actum tristitiæ, vt instrumentum Dei, per potentiam obedientialem concurrat.

De Beatitudine & actib. humanis.

XVIII.

AB ANGELIS proximè abest homo, creatus ad beatitudinem supernaturalem, quæ duplex est. Obiectiua & Formalis. Obiectiua est quid increatum, nempe ipse Deus Opt. Max. Formalis creatum quid, consistit in sola operatione intellectus, nimirum Visione Dei. hanc deinde vt proprietates sequuntur. Amor, Delectatio, omniumq. bonorum aggregatio, tanto cumulo, vt Beatus nec peccare, nec dolere, nec vnquam amplius suâ destitui possit beatitate.

XIX.

VOLUNTARIVM est illud, cuius principium est in eo qui agit, particularia cognoscente, in quibus consistit actio. Aliud dicitur Di-

B

2

rectum:

rectum: aliud Indirectum. prout abstrahit ab
vstroq. non repugnat ei esse sine omni actu Vt
verò omisio actus elicit, vel imperati, sit in-
directè Voluntaria, satis est, si positâ necessa-
riâ cognitione, quis non operetur, cum possit,
nec requiritur, vt sit obligatio. Secus est de
effectib. positiuis, qui ex omissione consequi-
tur; illi enim non modo non sunt culpabiles,
sed nec voluntarij omittenti; nisi adsit obli-
gatio eos impediendi.

XX.

VOLUNTAS ita est Domina actuum eli-
citorum, vt quoad eos, cogi non possit. Volun-
tarium non minuit, sed auget concupiscētia;
quæ cum conceperit, parit peccatum, pecca-
tum verò cum consummatum fuerit, generat
mortem. Peccatum porrò aliud est Commis-
sionis; aliud Omissionis. Illud est priuatio per-
fectionis in ipsa operatione, quæ denomina-
tur peccatum, existens; hoc, est carentia vo-
luntaria actus debiti.

XXI.

MALITIA igitur peccati Omissionis, tñc
contrahitur, quando voluntariè suscipitur a-
ctus, qui præuidetur causa omissionis futu-
ræ. solusque actus incompatibilis cum opere
præcepto, volitus per se primò, & dans causam
omissioni, est peccatum: Ceteri secundariò
electi non sunt mali, respectu omissionis
decretæ.

Est

XXII.

EST ET aliquod Peccatum Originale.
quod finitur. Priuatio Iustitiæ Originalis, aut
gratiæ iustificantis debitæ inesse paruulis. ad
Rom. v. 12. *Per unum hominem peccatum in
hunc mundum intrauit.* Hoc, quotquot ab A-
dam generatione naturali descendunt, con-
trahunt, nisi speciali priuilegio à Deo præfer-
uentur. Ceterum cuiuslibet peccati proles est
Macula, quæ præter gratiæ priuationem in-
cludit respectum ad actum peccati præteritū
moraliter permanentem. Maculam sequitur
Reatus poenæ, quæ in inferno perpetua, non
tamen infinita.

XXIII.

DEVS volens permittit peccata; non ta-
men vult illa: nec homines inclinat, aut cogit
ad ea: nec ante præuisam determinationem
Voluntatis humanæ ab æterno ordinauit, de-
creuit, prædestinauit, vt peccata, quæ ab ho-
minib. fiunt, committantur. Osee. xiii. 9.
*ex te perditio tua Israel: tantummodo in me au-
xilium.*

XXIV.

CONCURRIT quidem Deus ad entita-
tem realem peccati, non tamen est auctor
peccati. Ratio, quia concurrat ad actum, pa-
ratus concurrere ad oppositum, vel non con-
currere. proinde per eum non stat, quo minùs
perfectio opposita producat. Deinde De-
us non tenetur non concurrere ad entitatem

B. 3.

rea-

realem actus mali, quocirca rationabiliter
concurrit, vt Auctor naturæ.

De Gratia, XXV.

GRATIA est donum hominib. à Deo cō-
cessum, quod nec virib. naturalib. ac-
quiri potest, nec vlli debetur actioni
humanæ. an ergò falsum illud? Facienti quod
in se est, viribus proprijs, Deus non denegat
gratiam. Falsissimum, si rationem meriti in-
sinuet. An & illud, Hominem solis naturæ
virib. posse velle credere vt oportet ad salutē?
quid ni? *Sine me nihil potestis facere.* Ioan. xv, 5.

XXVI.

POTEST interim homo in natura lapsa
cognoscere aliquod verum, non tamen co-
pulatim omne. Similiter potest bonum ali-
quod opus morale efficere sine gratia iustifi-
cante & charitate, non tamen sine singulari
Dei beneficio, vt est auctor naturæ. at verò si-
ne gratia Christi diligere Deum super omnia
vel vt est auctor naturæ, vel vt est finis, super-
naturalis, nullo modo potest. par ratio de
obseruatione legis naturalis, quam totam
sine gratia iustificante nunquam seruabit,

XXVII.

SUFFICIENS gratia, qua quilibet ad salu-
tem peruenire possit: in via nemini denega-

tur

tur. Efficax verò non omnib. datur, nec sem-
per. Efficacia autem illa nihil est aliud, quam
Congruentia, seu Contemperatio Vocatio-
nis diuinæ, siue motionum præuenientium
cum libero arbitrio, & qua consensus non so-
lum esse possit, sed etiam re ipsa sit futurus.
Gratia igitur illa, quæ ex diuino decreto, cer-
to loco, tempore, ceterisq. conditionib. quis-
piam tam congruè vocatur, vt certò & infal-
libiliter vi gratiæ sit consensus, dicitur effi-
cax. hæc mens S. Augustini, q. III. ad Simplici-
anum.

XXVIII.

DIFFICULTAS est, an fieri possit, vt ex
duob. qui æquali motione gratiæ præuenien-
tis vocantur, vnus tantum eorum consentiat.
& cū distinctione: Vel enim gratia præueni-
ens est æqualis, in ratione doni & beneficij,
vel non est, licet par sit; in ratione motionis, ac
qualitatis. Si prius, ambo cōsentient, & æquis
passib. current in odorem vnguentorum di-
uinorum. Si posterius, fieri potest, vt vnus cō-
sentiat, alter minime.

XXIX.

GRATIA IUSTIFICANS est perfectio ho-
mini inhærens, quæ anima formaliter iusta, &
amica Deo redditur; licet aliud donum, vel
fauor nouus non super addatur. In iustifica-
to perueerat per modum habitus. Implicat
eam cum peccato consistere; neque vllum
mortale remitti tolliue potest, per solam con-

dona.

donationem Dei, sine gratiæ infusione, vel mutatione reali peccatoris.

XXX.

AD MERITVM requiritur. I. vt opus sit Voluntarium. II. vt sit bonum & honestum. III. vt fiat à persona existente in gratia IV. vt à Viatore. Promissio deniq. diuina præmij retribuendi ad sit necesse est. hæc vbi concurrunt, de condigno mereri datur, possumusq. sic cœlum obtinere. an etiam donum perseverantiæ? nihil minus. sicut nec reparationē post lapsū; nec remissionem poenæ æternæ, nisi tantūm de congruo.

De Fide, Spe & Charitate.

XXXI.

FIDES teste Apostolo ad Hebr. xi. I. *Est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* falsi expers, discursiua, prior Charitate. experientia sensuum, scientia, & reliquis Virtutibus intellectualibus certior. II. Petri i. 19. *habemus firmiorem propheticum sermonem.*

XXXII.

OBIECTVM fidei formale est prima Veritas, quatenus reuelans. Reuelatio hæc vt ex se obscura sit, non est necesse; ex parte obiecti vt sit: omninò requiritur. Obiectum materiale, est omne id; quod Fide diuinâ creditur. Quicquid autem creditur, ita debet proponi,

vt

vt per propositionem constet esse euidenter credibile.

XXXIII.

IN STATV naturæ, & legis scriptæ, fides supernaturalis & explicata vnius Mediatoris necessaria fuit necessitate mediij ad salutem obtinendam. In statu gratiæ etiam distincta, atq. explicata Christi, imò SS. Trinitatis requiritur. Matth. xxviii. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Sp. Sancti.*

XXXIV.

SPES EST Virtus Theologica à Fide & Charitate distincta. pro obiecto habet Deum quatenus est nostra Beatitudo. CHARITAS tertia est Virtus Theologica, & qualitas creata; in ea semper Viator procedere potest, nunquam tamen attinget infinitum. augetur per actus non tantūm æquales in intentione, sed etiam per remissiores, itemq. per continuationem eiusdem actus.

De Iure & Iustitia.

XXXV.

VIRTUTES Theologicas sequuntur Cardinales, inter quas non vltima IUSTITIA, *constans & perpetua Voluntas ius suum cuique tribuendi.* ad hanc excolendam, & inter mortales retinendam, plurimum faciunt Leges. hæc conscientias obligare possunt, siue à Natura, siue à Deo, siue ab homine legitimâ prædita auctoritate sint latæ.

C

XXXVI. IV.

XXXVI.

IVSTITIAM violant, qui temerè atque ex pravo affectu de aliorum probitate in materia graui constanter dubitant, suspicantur, aut iudicant. Quod D. Thomas ait, dubia, nõ quidem de alijs reb. sed de hominib. & eorum factis esse in meliorem partem interpretandã, id practicè quidem, & de interpretatione negatiuã, loquendo, semper verum. secus, si sermo sit de actu interpretationis positiuo; siue is speculatiuus sit, siue practicus, præsertim quãdo agitur de damnis euitandis.

XXXVII.

DETRACTIO similiter est peccatum cõtra Iustitiam; ex genere suo mortale, furto grauius. Infamare semet sine rationabili causa ita vt inde Scandalum, vitæ periculum, vel aliud detrimentum statui & officio, quod geritur, immineat, lethale crimen est; secus si pro maiori bono, vel suo, vel alterius, vel totius Reipublicæ fiat.

XXXVIII.

SI GRAVIA immineant tormenta, ad ea vitanda falsum sibi crimen imponere, non est mortale peccatum, quamuis ex illa ipsa confessione mors sit perpetiendã. Contra verò quamdiu est spes euadendi periculum capitis, licet Iudex legitime interroget, & secundum ordinem Iuris procedat; infamia quoque atque indicia manifesta, semiplenaque pro-

batio

batio præcesserit, potest reus sine mortali licitis modis occultare, & non fateri crimen admissum.

De Christo & Sacramentis.

XXXIX.

SI Adam non peccasset, Christus ex vi primi decreti incarnatus non fuisset. Ipsum Incarnationis opus licet toti Trinitati cõmune, quatenus ad illud effectiue concurrat; sola tamen Persona Filij terminatiue per subsistentiam relatiuam, humanitatem assumpsit, cumque ea omnes corporis defectus cõmunes toti naturæ, licet non particulares quosuis; nec defectum animæ, scilicet peccatum. i. Petri II. 22. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.*

XL.

FUIT Christus perfectissimè liber, quamuis impeccabilis, habuit appetitũ sensitiuum, propriosque eius actus, ita tamen ordinatos & compositos, vt nunquam indeliberati fuerint, vel rationem prauenerint. meruit nobis omnia auxilia gratiæ. instituit septem Sacramenta, tantamque dedit eis efficaciam, vt ex opere operato, non ponentibus obicem gratiam conferant.

XLI.

PRIMUM ac maximè necessarium Sacramentum est BAPTISMVS, sub trium diuinarum

Personarum, Patris, & Filij, & Spiritus sancti inuocatione, vt legitima forma, & aqua naturali, vt determinata materia, à Christo constitutus omnibus est necessarius ad salutem, re ipsa paruulis. Adultis in voto, per Martyrium, tam à paruulis, quàm adultis suppleri potest. CONFIRMATIONIS. Sacramentum per se institutum est ad imprimendum characterem & augendam gratiam. Ordinarius eius Minister est Episcopus, ex delegatione Pontificis simplex Sacerdos.

XLII.

EVCHARISTIA duab. speciebus panis & vini continetur, panis ex farina triticea, & aqua naturali coagmentatus, coctusq. calore ignis, non frixus, aut simili modo confectus sit, oportet: vinum quoque de vite sit, necesse est, cui ex præcepto Ecclesiæ modica admiscenda aqua.

XLIII.

HÆC, vbi Sacerdos verba consecrationis protulerit, non manent secundum substantiã, nec tamen annihilantur, sed mirabili virtute verbi Dei in carnem & sanguinem Christi conuertuntur, ita vt totus Christus simul in celo, & in altari, & in qualibet minima parte specierum, & earum indiuisibilib. existat, tamq. diu permaneat, quamdiu permanent accidentia, sub quibus forma panis & vini conseruari potuisset.

XLIV.

FORVM verò, quæ ad Christum pertinent, alia

alia sunt in hoc Sacramento ex vi verborum; nempe ad quæ directè conuersio terminatur, prout significatur per verba formæ, v. g. sub specie panis corpus Domini, sub specie vini sanguis: Alia per concomitantiam, quæ scilicet sunt coniuncta realiter iis, quæ sunt ex vi verborum v. g. diuinitas, anima, corpus sub specie vini; & sanguis sub specie panis.

XLV.

QUANTITAS quoq. tantum per concomitantiam sequitur, quæ hic indiuisibilis, prout deque Christus in hoc Sacramento non est vt in loco, nec Circumscriptiue, nec Definitiue. nec potest localiter moueri, nisi per accidens motis speciebus, nec potest tangi, vulnerari, vel videri oculo corporeo: nihil denique pati ab agentibus extrinsecis, virtute tantum naturali operantibus.

XLVI.

MATERIA Sacramenti POENITENTIÆ proxima sunt tres actus poenitentis, Contritio; Confessio, Satisfactio: remota, peccata post Baptismum commissa, Forma, Ego te absoluo à peccatis tuis: hæc in præsentia poenitentis præferri debet: secus si fiat, absolutio nulla est. [nullum peccatum est, quod remitti non possit per poenitentiam.]

XLVII.

EXTREMA VNCTIO Sacramentum est sanis

minimè exhibendum, nullo præcepto necessarium. Parochus tamen ad illud dandum tenetur, eius forma necessariò fieri debet modo deprecatiuo. Materia; Oleum sanctum ab Episcopo consecratum. Effectus. Sanitas mentis, & interdum corporis.

XLVIII.

IN Sacramento ORDINIS ad Ecclesiastica munia rite obeunda infunditur gratia, & character imprimitur. Materia eius est id, per cuius traditionem confertur. Ordo. Minister Ordinarius est solus Episcopus: possunt tamen Cardinales non Episcopi, & multi Abbates ex commissione, vel priuilegio conferre minores suis subditis.

XLIX.

MATRIMONIUM est maritalis coniunctio viri & mulieris inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem inducens. verba, vel signa vtriusque contrahentis consensum mutuum exprimentia sibi inuicem sunt materia & forma secundum diuersas rationes. Minister ipsi contrahentes.

L.

ANTE Concilium Tridentinum matrimonia clandestina fuerunt valida, hodie iis in locis, vbi Concilium illud receptum est, nisi in præsentia Parochi, & duorum testium celebrantur, nulla sunt, iustisq; de causis potuit Ecclesia illa irritare.